



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 230520e

Saturday 20.05.2023

Letter of the Holy Father to the Pontifical Legate for the celebration of the opening of the Virginian Jubilee Year on the 9th Centenary of the founding of the Abbey of Santa Maria in Montevergine (28 May 2023)

His Eminence Cardinal Secretary of State Pietro Parolin, appointed pontifical legate on 25 March 2023, will be accompanied by a **mission** composed of the following ecclesiastics:

1. The Most Reverend Dom Mauro Meacci, O.S.B., ordinary abbot of the Territorial Abbey of Subiaco and visitator of the Italian province of the Subiaco-Cassino Congregation;
2. The Most Reverend Dom Diego Gualtieri Rosa, O.S.B. Oliv., ordinary abbot of the Territorial Abbey of Santa Maria di Monte Oliveto Maggiore and abbot general of the Congregation of Santa Maria di Monte Oliveto.

The following is the Holy Father's letter to His Eminence Cardinal Pietro Parolin:

Letter of the Holy Father

Venerabili Fratri Nostro

PETRO S.R.E. Card. PAROLIN

Secretario Status

Matris pulchrae dilectionis et sanctae spei (cfr *Eccli* 24, 18 [24]) curam et diligentiam filii Ecclesiae, qui Christi humanam redemptionem in sacramentorum signis annuntiamus fidenter, mirabile Dei opus, cuius mirando consilio e virgineo thalamo Sponsus processit Ecclesiae, continuemus et producamus in eiusdem materna cura et diligenti voluntate, ut omnes homines ad agnitionem veritatis perveniant (cf *1 Tim* 2, 4), in eius vigilantia parvorum et egenorum et infirmorum, in perpetuo eius studio pacis concordiaeque ordinum confirmandae, in

perseveranti industria et navitate (cfr s. Paulus VI, *Marialis cultus*, 28).

Quo sustentati redemptionis pignore, in universae Ecclesiae necessitatum studium incumbentes, valde laetamur de IX centesima occurrente memoria a fundatione Abbatiae Sanctae Mariae Montis Virginis. Tantam proinde recolentes occasionem, dilecti Filii Richardi Lucae Guariglia, O.S.B., eiusdem Abbatis Ordinarii, humanissimae petitioni libenter concedere volumus, qui enixe postulavit, ut Missarum sollemnia honori sibi ducere possint praesentiam ac verbum alicuius Eminentissimi Viri, qui Nostras vices ibi gerat Nostramque erga conventam communitatem manifestet dilectionem.

Ad Te ergo, Venerabilis Frater Noster, munus Secretarii Status studiose exercentem, mentem Nostram convertimus, qui praecipuas necessitudines ita hac cum celebri abbazia profiteris, ut hodie peraptus videaris, qui, Nostras vices ibi gerens, erga dilectissimam istam monachorum communitatem proximitatem Nostram manifestes, praesentia ac verbo Tuo initia huius anni iubilare exornans. Te, proinde, ad hanc legationem obeundam elegimus et, hisce Litteris, LEGATUM NOSTRUM nominamus ad Missam proximo die XXVIII mensis Maii celebraturam, sollemnitate Pentecostes, ineunte Anno Iubilari Abbatiae Sanctae Mariae Montis Virginis in IX centesima memoria ab eiusdem fundatione.

Libenter Tibi potestatem facimus, dum insigni eidem occasionem intereris, illum monachorum coetum, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos cohorteris, ut opportunitatem fidelibus praebeat proficiendi in divina gratia pietas in Christi Matrem, quae hominibus hodiernis, qui haud raro inter angorem et spem iactantur, qui ob conscientiam exiguitatis suae se abiciunt et infinitis percelluntur appetitionibus, qui animum perturbatum, cor divisum mentemque incertam gerunt, qui solitudine oppressi fastidio ac taedio plene afficiuntur, serenum praebet prospectum, spondens spem de angore triumphaturam, communionem de solitudine, pacem de perturbatione, laetitiam et pulchritudinem de fastidio ac taedio, vitam de morte. Simul, insuper, gravissimum Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus universo Coetui ibi congregato.

Dum Tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem impertimur omnibus, qui celebrationi aderunt, transmittendam, legationem Tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter obsecrantes, ut de huius Anni Iubilare festivitate multiplices fructus carpant fideles.

Datum Romae, Laterani, die XI mensis Maii, anno Domini MMXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

FRANCISCUS
